

locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam:

Quia te vidi iustum coram me: ex omnibus gentibus. **Y.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 19. b

In illo tempore: Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis impōneret, & orāret. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 62. in Matth.

**C**ur discipuli pueros abigebant? Dignitatis causā. Quid ergo ille? ut doceat illos modeste sapere, fastidique mundanum concutere, & suscipit, & ulnis complēctitur, talibusque regnum cœlorum pollicetur, id quod etiam dixit superiis. Et nos igitur, si volumus hæredes esse cœlorum, hanc virtutem cum diligentia magna sectemur. Hoc est enim Philosophiæ culmen simpliciter esse cum prudentia: hæc vita est Angēlica. Anima enim parvuli omnibus animi morbis vacua est: non memoriā retinet injuriarum, sed eas inferentes adit, ut amicos, ac si nihil factum esset. Et quamvis à matre verbēribus cadatur, eam semper querit, & omnibus antepōnit.

Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinā ejus replēta est: Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **Y.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat. Glória Patri. Ipse intercedat.

Lectio viij.

SI Regiam ipsi ostēdas diadēmate ornātā, non præfert eam matri pannis detritis vestite, mal-

letque illam incōstam videre, quā Regiam mirifice amittam. Nam quod suum, quod aliēnum est, non ex paupertate, vel divitiis, sed ex amore existimare solet, & nihil plus requirit, quā necessaria, atque ut lacte replētus est, statim à mamma abscedit. Non eisdem, quibus nos, ærumnis præmitur, nec pecuniarum jacturā, rebūque similibus, nec iisdem, quibus nos, fluxus rebus lætatur, neque cōrporum pulchritudinem miratur. Ideo dicebat: Talius est enim regnum cœlorum; ut ex proposito voluntatis illa operemur, quæ naturā suā pueri faciunt.

**R.** Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: Et vos similes hominibus expectantibus Dōminum suum, quando revertatur à nuptiis. **Y.** Vigilate ergo, quia nescitis quā horā Dōminus vester venturus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio nona de SS. Martyribus Abdon & Senen, ut in Brev.

Te Deum laudamus. 12.

In Laudibus fit Commemoratio Octavæ. Antiphona. Visitavit nos. **Y.** Annuntiaverunt. Oratio. Esto Dōmine. ut supra. & SS. Martyr. **Añā.** Vestri capilli. **Y.** Exultabunt. xxxix. Oratio. Deus. ut supra.

In secundis Vesperis à Capitulo de sequenti, cum Commemoratione præcedentis, & Octavæ.

## DIE XXXI. JULII.

Septima die infra Octavam, fit de Sancto Ignatio Confessore, Duplex, cum Commemoratione Octavæ ad Laudes.

In secundis Vesperis à Capitulo de Octavæ, cum Commemoratione S. Ignatii, & Sanctorum Machabæorum Martyrum.

FES-

## FESTA AUGUSTI.

DIE I. AUGUSTI.

In Octava, Officium fit de ea sicut in die: & Festum S. Petri ad Vincula transfertur in diem xj.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno Lectiones. Fundamēta ejus, de Comuni Apostolorum. xiiij.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 20. c

In illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrōsii

Episcopi.

Lib. 2. de Fide ad Gratianum, cap. 3.

**P**otestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicentibus autem illis, Possumus; ait illis Jesus: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Quam patiens & clemens Dōminus, quā alta sapientia, & bona charitas? Volens enim ostendere, quod non perfūctōriam rem aliquam discipuli postularent, sed eam, quam impetrare non possent; prerogativam eis paternæ honorificentiæ reseravī, non metuens, ne quid juri proprio derogaret, qui non rapinam arbitratus est, esse se æquālem Deo: simul diligens discipulos quia sicut habes: Usque in finem dilexit eos. Nōluit his, quos diligeret, vidēri quod peterent denegasse sanctus & bonus Dōminus: qui mallet aliquid dissimulare de jure, quā de charitate depōnere. Charitas enim patiens est, benigna

est, non emulatur, non inflatur, non querit quæ sua sunt.

**R.** Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia: Occidit autem Jacobum fratrem Joānis gladii. **Y.** Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & Scribas, & ex illis occidētis. Occidit autem.

Lectio viij.

**D**enique, ut agnoscatis non infirmitatis, sed indulgentiæ esse quod dixit: Non est meum dare vobis: ubi sine matre filii Zebedæi rogant, nihil de Patre dixit: sic enim habes: Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. Ita Marcus Evangelista posuit. Ubi verò mater pro filiis rogat, hoc est secundum Matthæum: Non est, inquit, meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo: Hic addidit à Patre meo: quia majorem indulgentiam maternus poscebat affectus. Quod si putant dicēdo: Quibus paratum est à Patre meo, quod aut Patri plus tribuit, ut sibi aliquid derogavit; dicant, utrum & illic putent Patri aliquid derogatum, quia dixit in Evangelio Filius de Patre: Pater non iudicat quemquam? Quod si sacrilegium putamus, dicere, quod Patrem ita iudicium detulit Filio, ut ipse non habeat: (habet enim, nec potest amittere, quod habet naturaliter divina majestas) sacrilegium utique estimare debemus, quod non potest Filius dare quicquid, aut homines mereri possunt, ut quævis accipere creatura, præsertim cum ipse dixerit: Ego ad Patrem vado, & quocūque ab eo petieritis in nōmine meo, hoc faciam.

**R.** Iste est qui ante alios Apostolos primus plantavit Ecclesiam sanguine suo: Cujus corpus in Galliam delatum, pro totum orbem

gl6-

gloria illustratur. **V.** O sidus, o decus Hispaniæ, Sancte Jacobe Apostole, intercede pro nobis ad Deum qui te elegit. Cujus corpus. Gloria Patri. Cujus corpus.

**Lectio** nona de sanctis Machabais: de quibus fit etiam Commemoratio in Laudibus.

Vesperæ ubi Festum S. Petri ad Vincula non transferatur fit de ipso cum Commem. S. Pauli; Octavae S. Jacobi & S. Stephani Papæ & Martyris.

In Ecclesia autem Oxomensis & Diocesi, ac Regnis utriusque Castellæ tantum, Vesperæ à Capitulo de sequenti cum Commem. Octavae, & S. Stephani Papæ & Martyris.

## DIE II. AUGUSTI.

In Festo S. Petri Episcopi Oxomensis & Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, liv. exceptis his, quæ sequuntur.

Oratio.

**D**A quæsumus omnipotens Deus: ut beati Petri Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per Dñm nostrum Jesum Christum, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex historia Bernardi Archiepiscopi Toletani sub Paschale II. tempore Alphonsi VI. Hispaniarum regis, & alii Oxomensis Ecclesiæ monumentis.

Lectio iv.

**P**etrum Bituricensem è Gallia, Bernardus Toletanus Antistes, Roma per Galliam (suum natus solum) Tolotum rediens, cum aliis viris doctrinâ, & pietate præstantibus, secum, ut eorum

ministratio in Ecclesiæ regimine uteretur, adduxit. Perspectâ autem Petri prudentiâ, singularique in omnibus peritiâ, eum primo Archidiaconum Toletanum instituit: in cuius munere ita se singulari omnium, & præcipue sui Præsulis approbatione gessit, ut altioris loci, & regiminis dignissimus fuerit iudicatus. Anno itaque Dñmi millesimo centesimo primo, Paschale Secundo Summo Pontifice, ipstus Bernardi opera, post expulsos Saracenos ex Arabiis, in quibus ad fines Celtiberiæ sita est Oxoma, & Tolotum ab eorum tyrannide armis Alphonsi Sexti Hispaniarum regis vindicatum, primus Episcopus Oxomensis creatur. Divinitus autem datus, & præfectus Ecclesiæ potius quam humanitus ex eo certissime iudicandus est: quia cum Saracenorum vi, temporumque injuriâ per trecentos plus minus ante annos pastorum solatio, & presentia destituta Oxomensis Ecclesiæ permansisset, ipse Petrus admirabili sanctitate, & incredibili celebritate omnia ita disposuit, ut nunquam talia passa Oxomensis Ecclesiâ videretur.

**R.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: **V.** Manus enim mea auxiliabitur ei.

**V.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocēbit ei. Manus enim.

Lectio v.

**P**ræfectus itaque suæ Ecclesiæ, primum antiqui templi tanti temporis decursu collapsi fundamenta explorat, ipsamque reficit, & in pristinum statum cum ingenti brevitæ restituit. Veterem Diocesis instaurat, prædicatione verbi divini, assidua oratione, disciplina severitate cum pia quadam moderazione Clerum instituit, ut

mo-

mores Christiani, & Cleri sanctitas maxime elucērent. Distinctas item Parochias prædicatione, sacerdotum institutione, effusa in pauperes misericordiâ, visitando frequenter circubat. Multis etiam editis miraculis, antiquum nascentis Ecclesiæ Christianæ splendorem suscitare videbatur: ex his referuntur quedam monumentis majorum, & receptis historiis consignata. In his est Oxomensis civis admirabilis à dæmone liberatio: is enim potens, & dives, ob illatas Oxomensis Ecclesiæ graves injurias excommunicatus, in Episcopum Oxomâ in villam Sancti Stephani proficiscentem hostili animo armatus irruit: undè à dæmone subito correptus, de equo, cui insecēbat, deicitur, & in terra spumans tandiu volutatur, donec oratione, & precibus sancti Episcopi à dæmone opprimentis liberatur: & ad pristinam sanitatem revocatus, pœnitens ad Ecclesiâ confugit. Aquam item de illicis ramis in villa Fresnillo sui Episcopatus subito defluxisse, ut sitiētes comites Episcopi, & de via lassu sub umbra ejusdem arboris reficerentur. Multos præterea gravi aegritudine laborantes, pristinae sanitati restitutos, precibus à Dño impetravit.

**R.** Posui adiutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: **V.** Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

**H**is piis, & sanctis operibus intentum Episcopum, ad funus Alphonsi regis in Abbatia Sancti Facundi ritè procurandum, evocatum, & deinde redeuntem Oxomam, febris periculosa Palentiæ occupat: adhibitis autem à Petro

Palentino Episcopo omnibus humanitatis officiis, nihilominus insistere sibi mortem Oxomensis intellexit: & dæmone sibi apparentem in ipso mortis articulo, his verbis repulit: Quid hic agis nequam? Nulla tibi pars debetur: nonne confunderis, volens occupare que tua non sunt? Et benedicta tunc à se ipso more Ecclesiastico aqua, aspersum compescuit & fugavit. Deinde Palentino Episcopo dubitanti, an corpus illius post mortem propter Maurorum frequentes irruptiones Oxomam tuto deferri posset (ut obnix petierat ab eo Oxomensis) respondit, ipsum bono animo esse: futurum enim, ut nullâ vi hostium, neque incuris impederetur, vel in profectioe, vel in reditu, ut eventû ipso probatum est. Sacramentis igitur Penitentis, Eucharistis, & Unctionis debite susceptis, fronti signo crucis impresso, & circumstantes benedicens, composito vultu, Palentiâ claris miraculis migravit ad Dñm, cum per sex annos, & quatuor plus minus menses Ecclesiâ sanctissime gubernasset. Cujus corpus Oxomam delatum honorifico sepulchro conditum est, multis ad illud religionis, & voti causâ confluentibus.

**R.** Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus replata est: **V.** Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Homo peregrè proficiscens, de eodem Communi. Ixvj.

Nona Lectio de S. Stephano Papæ & Mart. ex duabus una cum Commemoratur in Laudibus.

In

In ij. Vesperis Commem. Inventionis S. Stephani Protomartyris.

DIE IX. AUGUSTI.

In Festo SS. Justi & Pastoris Martyrum.

Duplex ij. Classis.

AD VESPERAS,

Antiphona. Justus & Pastor, cum reliquis de Laudibus. 93. Psalmus. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, 94. & loco ultimi, Psalmus Laudate Dominum omnes Gentes. 97.

Capitulum.

Rom. 8.

**F**ratres, Existimo quod non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: nam expectatio creaturæ revelationem futuram Dei expectat.

Hymnus.

B. Iiid.

**E**cce Justus, ecce Pastor  
Ambo juncti sanguine,  
Quos pia fraternitatis  
Juncterat germanitas,  
Junxit æqualis sacratæ  
Passionis unitas.

Hi tamen scholis retenti,  
Dum instruntur litteris,  
Audiētes quod tyrannus  
Intrat urbem persequens,  
Illic scholam relinquunt,  
Et tabellās abnuunt.

Appetunt cursu deinde  
Præsidis præsentiam,  
Et crucem Christi sequendo,  
Corpus armant debile,  
Quo triumphos passionis  
Expeditent fortiter.

Hoc repente Daciāno  
Nuntiantes, inquam,  
Ecce advenire Christum  
Profitētes p̄vulos,  
Mortis ultrō passionē  
Atque cædes p̄p̄peti.

Concitans adest hic Præses  
Turbidus, sævitiam,  
Ad suos truces ministros

Teneantur, clamitat:  
Fustibus jubens tenella.  
Dissecari corpora.

Tunc sacratas ambo voces  
Alloquuntur invicem:  
Tempus est jam temporales  
Ferre pœnas corporis,  
Quo futuro perfruamur  
Gaudio cum Angelis.

Audiens mox Daciānus  
Martyrum constantiam,  
Excitatus in furore,  
Dicitur hanc sententiam:  
Ut perempti ambo fratres  
Morte dirā intercidant.

Proutinus eos furētes  
Pētrahunt satēlites  
Ad locum campi patētem,  
Quem ferunt laudabilem  
Ense illic verberantur,  
Laureantur sanguine.

Laus tibi per omne tempus  
Trinitas indifferens,  
Laus, honor, virtusque summa,  
Singularis gloriæ,  
Quæ Deum te sæculorum  
P̄sonet per secula. Amen.

¶ Latamini in Domino & exultate  
justi. **R.** Et gloriāmini omnes recti corde.

**Ad Magnificat, Antiphona**

Fortissimi pueri Justus & Pastor  
in campum Laudabilem adducti,  
pro Christo plūsq̄am virili constantiā dato collo, martyrio coronati sunt.

**Oratio.**

**D**eus, lactentium fides, spes  
infantium, charitas puerorum,  
qui per innocētum tuorum  
Justi & Pastōris laudem cunctos  
p̄vocas ad salutē: infunde nobis,  
quæsumus, puritatem lactentis  
infantiæ; ut dum sensu justitiæ p̄vulis  
adaquāmur, in illa remuneratione  
fidelium cum Sanctis pariter  
gloriemur. Per Dominum nostrum,  
&c.

Ad

**Ad Matutinum Invitatorium.**  
Regem gloriæ, qui beatos hōdiē  
Justum & Pastorem coronavit,  
¶ Venite, adorēmus. **Psalmus.** Venite,  
exultēmus. 1.

Hymnus.

**D**ivino agente Spiritu,  
Qui infirma mundi rōborat,  
Ad vincula, flagra, & vulnera  
Fratres tenelli cōvolant.

Vix Justus annum septimum,  
Nonūmq̄ue Pastor egerat,  
Et jam cruento in prælio  
Utēque mundum vicerat.

Minas utēque Præsidis,  
Utēque sprevit vbera,  
Et colla utēque lactea  
Stricto mucroni subdidit.

Incensa nempe charitas,  
Quam Christus armat, fovet:  
Quamvis tenello in corpore  
Nescit malis succumbere.

In hoc triumpho nobili  
Divina virtus emicat,  
Quæ infirma sæcli deligit  
Confundat ut fortissima.

Sit laus, potestas, gloriā,  
Unī, Trinōque nūmini,  
Quod cæde & ore infantium  
Invitat ad cœlestia. Amen.

**In primo Nocturno, Antiphona.**  
Cūm Daciānus Præses dirā Christianis  
supplicia minaretur, Justus  
& Pastor pueri mirā alacritate sese  
martyrio obtulerunt. **Psalm.** Beatus  
vir, cum reliquis de Communī,  
plurim. Martyr. xxxi. Antiph. Irā  
exardescens, & rubore suffusus Daciānus,  
infantes Martyres fustibus cædi,  
& excruciarī crudeliter jussit. **Psalmus.** Quare fremuerunt.

**Añs.** Non flagris, non morte deterriti,  
ad martyrium pro Christo  
perferendum, se mutuo roborabant.

**Psalmus.** Domine, quid multiplicati  
¶ Latamini in Domino & exultate  
justi. **R.** Et gloriāmini omnes  
recti corde.

**Lectiones de Epistola beati Pauli  
Apostoli ad Roman. Fratres, Debitōres sumus, ut in Communī plurimor. Martyr. xxxij.**

**¶.** Beati Martyris Justus & Pastor teneris annis ætatis suæ mortem perdidērunt, & vitam æternam invenerunt: ¶ Quia solum vitam dilexerunt auctōrem. ¶ Infāntia computabatur in annis, sed necēsus erat venerabilis, non senērum nūmero computata. Quia solum.

**¶.** Ingressus tyrānus Complūtum, omnes Christianos perquiri jubet, qui aut idōlis sacrificent, aut cruciatibus acerbissimis interficiantur: Justus & Pastor ultrō se offerunt. ¶ Quia magno desiderio pro Christo moriēdi erant incensī.

¶ Projēctis tabellis, quibus prima litterarum rudimenta continebantur, in domo judicis prōperant. Quia magno.

**¶.** Vidēte ne contemnatis unum ex his pusillis. ¶ Angeli enim eōrum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. ¶ Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Angeli Glōria Patri. Angeli enim.

**In secundo Nocturno, Antiphona.**  
Dixit Justus: Noli frater Pastor  
hanc temporalem pertinere tansationem,  
nam qui nos ad tantam gratiam vocavit,  
vires cruciatibus pares præstabit. **Psalmus.** Domine quis habitabit. **Antiphona.** Digne frater Juste, sic te decet hortari,  
ut justitiam, quam nōmine præfers,  
simul cum tuo fratre suscipias. **Psalmus.** Conserva me Domine. **Antiphona.** Hi sunt, qui acceperunt benedictionem a Domino, & misericordiam a Deo salutari suo. **Psalm.** Domini est terra. ¶ Exultent

rent

tent justī in conspēctū Dei. **R.** Et delectentur in lætitiā.

*Ex lib. S. Isidori, & lib. S. Ildephonsi de viris illust.*

**Lectio iv.**

**J**ustus & Pastor, germani fratres, Complutēnses, illustre Christo Dōmīno testimoniū dederunt, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus. Nam cūm Daciānum Præsides Complūtum ingressūs, Christianos omnes perquiri vēberet, ut aut fidem Christi detestati, idōlis sacrificarent, aut acerbissimis cruciatibus interficerentur, Justus & Pastor pueruli magno sunt pro Dōmīno moriēdi desiderio incēnsi. Itaque projectis tabellis, quibus prima literarum rudimenta continebantur, quo Christum melius discerent, ē ludo literario neque vocati, neque appellati in domum iudicis prōperant, Christianos se esse publicē professentur, & pro Christi fide supra vitam & corporis vires læti atque alacres tormentorum cruciatibus sese ultro offerunt. Quos Daciānus, tanquam pueros, iubet verbēribus ab ea mente deterreri.

**R.** Justus sic fratrem Pastorem alloquebatur: Ne times frat mortem corporis, nec dira tormenta, quae nos circumstant. \* Nam Deus ille, qui nos ad tantam gratiam vocare dignatus est, dabit vires cruciatibus pares. \* Nō tēdeterrēant tormenta, quae nobis parata sunt, quasi tenella nostrā aetate graviōra. Nam Deus.

**Lectio v.**

**D**um ad verbera ducuntur, mūtō se ad supplicia fortiter subeunda novelli agni cohortantur. Nam Justus minor natu, timens forte, ne de sua frater constantia diffideret, sic prior Pastorem allo-

quitur: Nihil, Pastor frater, timeas mortem corporis, quae nos circumstant, nec tormenta, quae nobis parata sunt, quasi tenella nostrā aetate graviōra; excipe jugulo securus gladium: nam Deus ille, qui nos ad tantam gratiam vocare dignatur, dabit etiam vires cruciatibus pares. Ad haec Pastor: Merito, Juste frater, sic te decet hortari, ut justitiam, quam nomine praefers, re ipsa praestes, ejusque fructus tecum una percipias. Ego vero libenter socium me tibi praebēbo martyrii, ut tecum hujus certaminis gloriam adipiscar. Quorum sermones cum satellites ad Daciānum retulissent, veritus ille, ne reliqui Christiani tanto excitarentur exemplo, ejusque crudelitas, si in certamen descenderet, à pueris vinceretur, extra oppidum procul ab hominum frequentia sanctissimos pueros abripi iubet, & silentio occidi.

**R.** Propter testamentum Domini, & leges paternas, Sancti Dei perstrerunt in amore fraternitatis. \* Quia unus fuit semper spiritus in eis, & una fides. \* Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Quia unus.

**Lectio vj.**

**I**taque in campum, qui Laudabilis est appellatus, adducti, octavo Idus Augusti gladio feriuntur. Et, ut à majoribus accepimus, jugulati sunt super lapidem, qui Compluti in honore est, & adhuc servat sacrae martyrii impressa vestigia. Post discussum Daciāni, Christiani beatissima puerorum corpuscula eo ipso loco honorifice sepelierunt: quae durante persecutione, & novis deinceps semper bellis Hispania exagitata, oblivioni traduntur, donec longo post tempore Asturio Toletano Archiepiscopo, viro sanctissimo divinitus com-

Homilla Sancti Augustini  
Episcopi.

*Sermone 8. de verbis Domini,  
tom. 10.*

**Q**uid est hoc fratres? à contrario sensu intelligite: Abscondisti haec, inquit, à sapientibus & prudentibus: & non dixit, revelasti ea stultis & imprudentibus: sed ait: Abscondisti quidem à sapientibus & prudentibus; & revelasti ea parvulis. Sapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus falso grandibus, verè autem tumētib; opposuit non sapientes, non prudentes, sed parvulos. Qui sunt parvuli? humiles. Ergo abscondisti haec à sapientibus & prudentibus.

**R.** Sacrilegi Præsidis Daciāni minas perhorrescunt viri, infantes continentur: & per infirma mundi fortia confunduntur. \* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Et per infirma.

**Lectio vij.**

**N**omine sapientium, & prudentium superbus intelligi posse, ipse exposuit, cūm ait: Revelasti ea parvulis. Ergo abscondisti non parvulis. Quid est non parvulus? Non humilibus. Quid est non humilibus, nisi superbus? O via Domini! aut non erat, aut latēbat, ut revelaretur nobis. Ubi Dōmīnus exultavit, nisi quia revelatum est parvulis? Dehēmus esse parvuli: nam si voverimus esse magni, quasi sapientes & prudentes, non nobis illud revelatur.

**R.** Haec est vera fraternitas, quae nunquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Domīnum: \* Contemēntes autem regiam, pervenerunt ad regna caelēstia. \* Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.

Con-

comonstrata sunt. Qui caelēstem thesaurum pro dignitate astimans, Complūtum venit, eumque pretioso tumulo condidit: tantaque veneratione prosequutus est, ut Toletanā sede relicta, primus Complutēnsē Episcopātum constituerit, ac reliquum vitae tempus in honorandis sanctissimis pueris collocavit, neque amplius se ab eis divelli passus sit: quorum reliquae multis & illustribus miraculis claruerunt.

**R.** Innocentes pro Christo infantes occisi sunt, ab impio tyranno pueri fratres jugulati sunt: ipsum sequuntur agnum sine macula. \* Et dicunt semper, Glória tibi Domīne.

**R.** Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt: Et dicunt, Glória Patri. Et dicunt.

**In tertio Nocturno, Antiphona.**

Neque vocati, neque appellati, Justus & Pastor in domum iudicis prōperant, Christi fidem confitentēs. **Psalmus.** Exultate justī. **Antiphona** Qui adhuc lactentis tenerritudine agebantur infantiae, ultra vires viriliter dimicant, alleluia. **Psalmus.** Benedicam Domīnum. **Añā.** Deus adiutor noster in tribulationibus, propterea non timebimus, dum turbabitur terra. **Psalmus.** Deus noster refugium. **R.** Justī autem in perpetuum vivent. **R.** Et apud Domīnum est merces eorum.

**Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.**

**Lectio vij.**

**I**n illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Coníteor tibi Pater, Domīne caeli & terrae: qui abscondisti haec à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Contemnentes. Glória Patri. Contemnentes.

**Lectio nona de Vigilla S. Laurentii martyris, ut in Breviario.**

**AD LAUDES,**  
& per Horas, Antiphona.

**J**ustus & Pastor fratres pueri, cum Præsidis sevitiâ viri per horrescerent, sponte ad martyrium currerunt. **Psalm** Dominus regnavit cum reliquis de Dominica. **Antiphona.** Pastor & Justus fratres, cum pueri adhuc litteris imbuerentur, projectis in schola tabellis, veram sapientiam sunt secuti. **Añ.** Justus Pastorem alloquitur: Noli frater mortem corporis, nec tormenta, quæ nobis parata sunt, pertimescere. **Añ.** Dixit Pastor Justo fratri, libenter me tibi martyrii socium præbeo, ut simul hujus certaminis gloriam consequamur. **Añ.** Pueri, & juvenes, senes cum junioribus laudent nomen Domini, alleluia.

**Capitulum.**

Rom. 8.

**F**ratres, Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.

**Hymnus.**

**S**acra victorum monumenta fratrum  
Supplici voto renovamus, & te  
Martyrum virtus canimus, qui in  
illis

Christe triumphas.

Hodiè duplex tibi consecratur

Victima, hostili temeraria cultro,  
Utraque internas animante vires  
Uritur igne.

Ultra ad immitem præperat tyrannum,  
Utraque intentos cupit ire in enses,  
Nulla vis cogit jugulum minaci  
Subdere ferro.

Prædeunt una genitricis alvo,  
Tempore ad palmam rapiuntur  
uno,

Et duplex agnus laniatus unam  
Imbuat aram.

Excipe ex nostris Deus alme tem-  
plis  
Vota, solèmi geminata ritu,  
Quique adhuc stillat veteri recen-  
tem

Morte cruorem.

Glória aeterno Genitori, & ejus  
Sit coaeternæ Soboli, jugisque  
Laus Paráclito, qui ab utroque  
manat

Numine sacro.

Amen.

**R.** Exultabunt Sancti in glória.

**R.** Laetabuntur in cubilibus suis.

**Ad Benedictus, Antiphona.**

Super petram duas victimæ Christo  
gratissimæ, Justus & Pastor jugulati  
sunt, & corpora eorum in pace  
honorificè sepulta sunt, alleluia.

**Oratio.**

**D**eus lætèntium fides, spes infan-  
tium, charitas puerorum, qui per  
innocentium tuorum Justum &  
Pastoris laudem cunctos provocas  
ad salutem, in fide in nobis, quaesumus,  
puritatem lætèntis infantia; ut dum  
sensu justitiæ parvulis adæquamur,  
in illa remuneratione fidelium cum  
sanctis pariter gloriemur.  
Per Dominum nostrum, &c.

**Et sic Comm. Vigilia S. Laurentii & S. Romani Mart. ut in Breviario.**

**Ad Tertiam, Antiphona.** Pastor & Justus. **Capitul.** Fratres, Existimo, ut supra.

**R. br.** Letamini in Domino. Et exultate justum. Letamini. Et gloriemini omnes recti corde. Et exultate. Glória Patri. Letamini in Domino. Et exultent justum in conspectu Dei. **R.** Et delectentur in lætitia.

Ad

**Ad Sextam, Antiphona.**

Justus Pastorem.

**Capitulum.**

Rom. 8.

**S**cinus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.

**R. br.** Exultent justum in conspectu Dei. Exultent. Et delectentur in lætitia. In conspectu. Glória Patri. Exultent. Justum autem in perpetuum vivent. **R.** Et apud Dominum est merces eorum.

**Ad Nonam, Antiphona.**

Pueri, & juvenes.

**Capitulum.**

Rom. 8.

**Q**uis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?

**R. br.** Justum autem in perpetuum vivent. Justum. Et apud Dominum est merces eorum. In perpetuum. Glória Patri. Justum. Exultabunt sanctum in glória. **R.** Laetabuntur in cubilibus suis.

**Vesperæ de S. Laurentio Martyre, ex Decret. S. R. C. xvj. Februarii 1781. cum Commem. SS. Justum & Pastoris Martyr. Añ.** Isti sunt duo novelli agni, qui nec minis judicis deterriti, nec virium tenèritate defessi, usque ad mortem tormenta passi sunt, alleluia. Exultabunt Sanctum in glória. **R.** Laetabuntur in cubilibus suis.

**Oratio.** Deus, lætèntium, ut supra.

**DIE XI. AUGUSTI.**

**Fit de S. Petro ad Vincula. Duplex majus, ut in Brev. Rom. die j. hujus cum ix. Lect. SS. Tiburtii & Martyrum, Comm. S. Pauli Apostoli, & Octavæ, ad SS. Martyrum in Laudibus.**

**DIE XIII. AUGUSTI.**

**Fit de S. Henrico Imperatore Pars Estiva.**

Confessore, Semiduplex, ut in Brev. Rom. die xv. Julii, cum ix. Lect. SS. Hippolyti & Cassiani Martyrum, Comm. Octavæ & SS. Martyrum in Laudibus.

**DIE XXI. AUGUSTI.**

**In Festo S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal.**

Duplex.

**Omnia de Comuni nec Virgini-um, nec Martyrum xxxj. præter ea, quæ sequuntur.**

**Oratio.**

**O**mnipotens & misericors Deus, qui beatam Joannam Franciscam tuo amore succensam admirabili spiritus fortitudine per omnes vitæ sèmitas in via perfectionis donasti, quique per illam illustrare Ecclesiæ tuam novâ prole voluisti ejus mèritis, & præcibus concedere; ut, qui infirmitatis nostræ consicium de tua virtute confidimus, cœlestis gratiæ auxilio cuncta nobis adversaria vincamus. Per Dominum, &c.

**Postea fit Commemoratio S. Bernardi Abbatis, ac Octavæ Assumptionis, ut in Breviario.**

**In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.**

**In secundo Nocturno.**

**Lectio iv.**

**Joanna Franciscæ Fremiot à Chantal, Diviõne in Burgundia clarissimæ orta natalibus, ab ineunte ætate eximie sanctitatis non obscuras edidit significationes. Eam enim, vix quinquentennem, nobilem quemdam Calvinistam solidâ supra ætatem argumentatione perstrinxisse ferunt, collatumque ab eo munusculum flammis illic tradidisse in hæc verba: En quomodo hæretici apud inferos comburentur, qui loquenti Christo fidem detrahant. Matre orbata Deiparæ Virginis tutelæ se commendavit, & famulam, quæ ad**

Xxx

mun-

mundi amorem eam alliciebat, ab se rejecit. Nihil puerile in moribus exprimens, à seculi deliciis abhorrens, martyriumque anhelans, religioni, ac pietati impensè studebat. Baroni de Chantali nupti à Patre tradita, virtutibus omnibus excelsèndis operam dedit, liberos, famulos, aliosque sibi subiectos in fidei doctrina, bonisque moribus imbuerè satagens. Proflua liberalitate pauperum inopiam subleuabat, annonà diuinitus non raro multiplicatà; quo factum est, ut nemini se umquam Christi nomine roganti stipem abnegatùram sponderit.

**R.** Propter veritatem & mansuetudinem; & iustitiam: **P.** Et deducit te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tuà & pulchritudine tuà intènde, prospère procéde, & regna. Et deducet.

## Lectio v.

**V**iro in venatione interempto, perfectioris vite consilium inueniens, continentia voto se obstrinxit. Viri necem non solum æquo animo tulit, sed in publicum indultæ veniæ testimoniùm, occisoris filium è Sacro Fonte suscipere sui victrix elegit. Modicà familià, tenui victu, atque vestitu contenta, pretiosas vestes in pios usus conuertit. Quidquid à domesticis curis supererat temporis, precibus, piis lectionibus, laborique imponebat. Numquam adducit porcum, ut alteras nuptias, quamvis utiles, & honorificas iniret. Ne autem à proposito castimonie observandæ in posterum dimoueretur, illius voto innovatò, sanctissimum Jesu Christi nomen candenti ferro pectoris insculpsit. Ardentiùs in dies charitate fervescens, pauperes derelictos, ægros, terris que mor-

bis infectos ad se adducendos curabat, eosque non hospitio tantum excipiebat, solabatur, fovèbat; verum etiam sordidas eorumdem vestes depurgabat, laceras reficiebat, & manantibus fetido pure ulceribus labia admovere non exhorrebat.

**R.** Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: **P.** Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam. Propterea unxit.

## Lectio vj.

**A** Sancto Francisco Salésio, quo spiritus moderatè usque fuit, divinam voluntatem edocta, proprium parèntem, socerum, filium denique ipsum, quem etiam vocatiõni obsistentem, suà è domo egrediens, pedibus calcare non dubitavit, invicta constantia deseruit, & sacri Institutù Visitatiõnis S. Mariæ fundamènta jecit. Ejus Institutù leges integerrimè custodivit; & adeo paupertatis fuit amans ut vel necessaria sibi deesse gauderet. Christianæ vero animi demissionis, & obedientiæ, virtutum denique omnium perfectissimum exemplar se præbuit. Altiores in corde suo ascensionès dispõnens, arduissimo efficiendi semper id, quod perfectius esse intelligeret, voto se obstrinxit. Denique sacro Visitatiõnis Institutù ejus potissimum opera longe, lateque diffuso, verbo, exemplo, & scriptis etiam divinà sapientiã referens, ad pietatem & charitatem Sororibus excitatis, mèritis referta, & Sacramentis ritè susceptis, Mohini, anno millesimo sexcentesimo quadragésimo primo, die decimatertia Decembris, migravit ad Dominum; eusque animam

oc-

## Hymnus.

**R**egis superni nuntia  
Domum paternam deseris,  
Terris Teresà barbaris  
Christum daturà, aut sanguinem;  
Sed te manet suavior

Mors, prena poscit dulcior:  
Divini amoris cuspidè  
In vulnus ista concedes.  
O Charitatis victima!

Tu corda nostra concrema,  
Tibique gentes creditas  
Averni ab igne libera.

Sit laus Patri cum Filio,  
Et Spiritu Paraclyto,  
Tibique sancta Trinitas,  
Nunc, & per omne sæculum.  
Amen.

**V.** Spécie tua & pulchritudine tua.  
**R.** Intènde, prospère procéde, & regna.

## Ad Magnificat, Antiphona.

Veni sponsa Christi, accipe corònam, quam tibi Dominus præparavit in ætèrnum.

## Oratio.

**D**eus, qui illibata præcordia beatæ Virginis Teresiæ sponsæ tuæ ignito jaculo transfixisti, & charitatis, viciniam consecrasti: ipsa interveniente concede, ut corda nostra ardore sancti Spiritus fervèant, & te in omnibus super omnia diligant. Qui vivis & regnas, &c.

## Ad Matutinum, Invitatorium.

Regem Virginum Dòminum, **V**enite, adoremus. **Psalmus.** Venite, exultemus. 1.

## Hymnus.

**F**elix dies, qua candidæ  
Instar columbæ, cœlitum  
Ad sacra templa spiritus  
Se transtulit Teresiæ.  
Sponsique voces audit  
Veni soror de vertice

Xxx 2

Car-

Carmeli ad agni nuptias;  
Veni ad coronam glorie.  
Te, sponse Jesu Virginum,  
Beati adorent Ordines,  
Et nuptiali canticum

Laudent per omne seculum.

Amen.

Antiphona, Psalmi, VV. & RR.  
Nocturnorum de Comuni de Vir-  
ginum. lxx.

In primo Nocturno, Lectiones de  
Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

**I**nter ceteras Teresie virtutes  
præcipue emicuit dilectio Dei,  
quæ adeo in corde ejus exarsit,  
ut Confessari ipsius Teresie tam-  
quam non hominis, sed Cherubini  
propriam admirarentur, & cele-  
brarent. Quam etiam Dominus nos-  
ter Jesus Christus multis visioni-  
bus, & revelationibus mirabiliter  
auxit. Quandocumque enim datâ dex-  
tera, clavocumque extenâ, illam in  
sponsam suam adoptavit, atque  
his verbis alloquitur dignatus est:  
Deinceps ut vera sponsa meum ze-  
lâbis honorem: jam ipse sum totus  
tuus, & tu tota mea.

**R.** Propter veritatem, & mansue-  
tudinem, & justitiam: **S.** Et deducet  
te mirabiliter dextera tua.  
**V.** Specie tuâ & pulchritudine tuâ  
intende, prospere procede, & regna.  
Et deducet.

Lectio v. In primo Nocturno.

**A**liquando etiam Angelum vi-  
dit ignito jâculo sibi præcordia  
transverberantem. Quod ipsa  
enarrat his verbis: Videbam ad  
sinistram meam Angelum astantem  
corporali specie; non erat magnus,  
sed parvus, formaque pulcherrima,  
ac vultu sic accenso, & fla-  
grante, ut videretur ex supremis,  
qui penitus exardent, sive ex iis,

qui Seraphim dicuntur. Aspiciebam eum in manibus gestare longum jâculum aureum, & in extremo cuspidis parum ignis; jâculo autem non semel cor meum transverberabat usque ad viscera; hæc verò mihi videbatur secum asportare, cum jâculum educeret, exindeque me prorsus relinquere Dei amore æstuantem. Erat quidem tam vehemens dolor vulneris, ut me compelleret in gemitus iteratos prorumpere, & adeo excellens suavitas, quam in me hic dolor intensissimus efficit, quod desiderabile non sit, ut auferatur, nec animæ quidquam placeat, nisi Deus ipse.

**R.** Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: **S.** Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.  
**V.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea unxit.

Lectio vj.

**E**x quibus cœlestibus donis divini amoris flamma in ejus corde adeo exæstuat, ut maxime arduum votum à Deo edocâta emisit, efficiendi semper quiddam perfectus esse, & ad majorem Dei gloriâ pertinere intelligeret. Quin etiam post mortem eadem Moniali per visum manifestavit, se non vi morbi, sed ex intellectu sibi divini amoris incendio vitâ excessivisse.

**R.** Afferentur Regi virgines post eam, proxime ejus. Afferentur tibi in lætitiâ & exultatione. **V.** Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, prospere procede, & regna. Afferentur tibi. Gloria Patri Afferentur tibi.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Simile erit regnum cœlorum, ut in Comuni Virgini-  
um. lxxv.

Ad

Ad Laudes Hymnus ut in primis  
Vesperis.

Ad Vesperas omnia ut in primis Vesperis, deinde à Capitulo de S. Augustino Episcopo cum Commemoratione precedentis.

FESTA SEPTEMBRIS.  
DIE I. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Josephi Calasancii.

Duplex.

Omnia de Comuni Confessoris non Pontificis. iv. præter ea quæ sequuntur.

In Hymno Vesperarum, & Matut. dicitur.

Hæc die lætus meruit supremos laudis honores.

Oratio.

**D**eus, qui per Sanctum Josephum Confessorem tuum ad erudiendam spiritu intelligentiæ ac pietatis juventutem, novum Ecclesiæ tuæ subsidium providere dignatus es: præsta quæsumus, nos ejus exemplo & intercessione ita facere & docere; ut præmia consequamur æterna. Per Dominum nostrum, &c.

Deinde fit Commemor. S. Raymondii Nonnati, S. Aegidii Abb. ac SS. 12. Fr. Mm. ut in Breviar. Roman.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

**J**osephus Calasancius à Matre Dei, Petraltæ in Aragónia nobili genere natus, à teneris annis futuræ in pueris charitatis, & eorum institutionis indicia præbuit. Nam adhuc pærvulus eos ad se convocatos in mysteriis fidei, & sacris præciis erudiēbat. Humânis divinisque litteris egregie doctus, cum studiis Theologicis Valentia operam daret, nobilis potentisque fé-

mina illicebis fortiter superatis virginitatem, quam Deo voverat inoffensam insigni victoriâ servavit. Sacerdos ex voto factus, à compluribus Episcopis in Castellæ novæ, Aragóniæ, & Cataluniæ Regnis in partem laboris adscitus, expectationem omnium vicit; pravis ubique moribus emendatis, Ecclesiastica disciplinâ restituta, inimicis cruentisque factionibus mirificis extinctis. At cœlesti visione, & Dei voce frequenter admonitus, Romam profectus est.

**R.** Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: **S.** Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum dedit illi Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

**I**n Urbe summa vitæ asperitate, vigiliis, & jejuniis corpus affligens, in orationibus, & cœlestium rerum contemplatione dies, noctesque versabatur, septem ejusdem Urbis Ecclesiis singulis ferè noctibus obire solitus; quem inde morem complures annos servavit. Dato piis sodalitatibus nomine, mirum quanto ardore pauperes, infirmos potissimum, aut carceribus detentos, eleemosynis, omnique pietatis officio sublevaret. Luce Urbem depopulante, unâ cum Sancto Camillo, tanto fuit actus impetu charitatis, ut præter subsidia ægrorum pauperibus largè collata, ipsa etiam defunctorum cadavera suis humeris tumulanda transferret. Verum cum divinitus accepisset, se ad informandos intelligentiæ, ac pietatis spiritu adolescentulos, præcipue pauperes, destinari; Ordinem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundâ-

Xxx 3

vii,